



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

V. Quæ sint propositiones per se notæ, & an demonstratio ex illis
necessario constet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

calefaciendum: ergo calefacit. Non verò tenet in causis liberis, quia voluntas cum omnibus prærequisitis ad amandum potest non amare.

6 Vltimò circa hos modos per se dicendum est non omnem demonstrationem constare principiis per se, ut patet in hac demonstratione: *Omne progressivum est vivens: omnis homo est progressivus: ergo omnis homo est vivens.* In qua minor non prædicatur per se de subiecto, quia progressivum non est propria passio hominis, sed animalis. Dicendum est etiam demonstrationem perfectissimam constare principiis per se primo, & secundo modo, quia vno principio prædicatur passio de subiecto, quæ illi convenit per se secundo modo; & in altero essentia, quæ primo modo per se convenit, ut patet in hac demonstratione: *Omne animal rationale est admirativum: Omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est admirativus.*

7 Circa aliud quod inquitur, an videlicet demonstratio debeat constare propriis principiis. Respondeo proprium posse lumi vt oppositum alieno, & oppositum communi. In priori sensu Patriam propriam vocamus; & ita in posteriori dicimus proprium esse passum. Hoc posito dicendum est non omnem demonstrationem constare principiis propriis, quatenus proprium communi opponitur. Quia sunt plura principia communia, quæ omnibus demonstrationibus deseruiunt, ex quibus inferuntur conclusiones specialis scientiæ. Deinde addo non omnem demonstrationem constare principiis propriis propterea proprium alieno opponitur, aliquando enim conclusio huius peculiaris scientiæ inferitur ex principiis aliis specialis scientiæ, ut videre est in hac demonstratione. *Definitio & definitum convertuntur. Homo & animal rationale sunt definitio, & definitum: ergo homo & animal rationale convertuntur*, hoc est, sunt idem. In qua demonstratione conclusio pertinet ad Philosophum, & prima præmissa ad Dialecticum. Verum est hæc principia aliquo modo posse dici non aliena, quia sunt propria scientiæ subalternantis, quæ cognitionem habet cum subalternata, propter quam possunt dici principia propria huius, quæ illius sunt propria.

8 Vltimò dicendum est demonstrationem perfectissimam, in qua prima passio demonstratur per essentiam, constare principiis propriis propterea proprium communi opponitur, & alieno. Quia ad eandem scientiam ad quam pertinet cognoscere passionem subiecti, pertinet cognoscere prædicatam essentialia illius: Sed in demonstratione perfectissima principia constant prædicatis essentialibus subiecti, & passione, quæ de eodem subiecto in conclusione prædicatur: ergo conclusio & principia pertinent ad eandem scientiam.

PUNCTUM V.

Quæ sint propositiones per se notæ, & an demonstratio ex illis necessario consistat.

1 Propositionis per se nota dicitur illa, quæ caret medio, quo probetur, hoc est cuius obiecto non per aliud, sed per se ipsum intellectus præbet assensum, ut docet P. Valsq. l. part. quest. 2. art. 2.

2 Propositionis dupliciter potest cognosci per aliud vel à priori, vel à posteriori, & ita dupliciter potest esse per se nota à priori, cum nulla supersit causa per quam demonstraretur. Sic rerum essentia sunt à priori per se notæ. A posteriori, cum non potest per alium effectum demonstrari. Sic vltima passio per se nota à posteriori appellatur.

3 Propositionis per se nota tam à priori, quam à posteriori potest diuidi in per se notam quoad nos, non verò quoad se; & in per se notam quoad se, & quoad nos. Propositionis per se nota quoad nos, & non quoad se, dicitur illa, cuius obiectum in re habet aliquam causam, ex qua possit inferri, nos verò illam ignoramus, ac proinde non possumus obiectum illud ex principio nobis ignoto deducere. Huiusmodi forsitan est hæc propositio, *equus est hinnibilis*, quæ quoad nos est per se nota à priori, quia id quod prius in equo concipimus est hinnibilitas, & forsitan latet nos aliquod prædicatum, ex quo oriatur ratio hinnienti, sicuti in homine risibilitas ex rationalitate nascitur. Propositionis per se nota quoad se, & quoad nos est illa, cuius obiectum non cognoscitur à nobis per aliud medium, neque in re aliquid supponit, per quod possit cognosci.

Huiusmodi est hæc propositio, *Quodlibet est vel non est*. Addit Arriaga aliam esse propositionem per se notam quoad se, non verò quoad nos, illam videlicet, quæ non habet medium in se, quo prædicatum connectatur cum subiecto, ut existentia Dei cum ipso Deo, quæ à parte rei sine vilo medio connectuntur, nos tamen non cognoscimus illam nisi mediante creaturarum cognitione. Non acquiesco, quia si prædicatum non habet medium per quod cognoscatur, non possumus nos illud confingere. Neque exemplum est ad rem, quia existentia Dei quoad se, & quoad nos est per se nota à priori, & ita non possumus illam à priori demonstrare. A posteriori verò neque quoad se, neque quoad nos est per se nota, quia realiter habet effectus, ex quibus nos à posteriori existentiam diuinam demonstramus.

4 Alij absolute hanc diuisionem impugnant, quia cognosci est quoad nos, & ita propositio, quæ quoad nos est per se nota, absolute & simpliciter dicitur per se nota, etiam si habeat causam occultam, quia donec talis causa nobis innoteat per illam cognoscibilis non est. Hæc questio tota est de modo loquendi, ideo in ea non immoror neque hunc, neque illum improbo.

5 Propositio per se nota alia est evidens, probabilis alia; quia sicuti syllogismus evidens reducitur ad principia per se euidencia, ita syllogismus probabilis, reducitur ad principia per se probabilia, hoc est, quibus per se ipsa probabiliter assentimus. Sic hæc propositio probabilis *Omni mater diligit filium suum*, reducitur ad hoc principium probabile, *Omni homo amat quod sibi aliquo modo est proprium*, quod non amplius à priori poterit ostendi.

6 Ex propositionibus per se notis, quædam dicuntur dignitates, alie non dignitates. Dignitates dicuntur principia per se nota, euidencia, & generalissima, quæ pluribus facultatibus deseruiunt, veluti *Quodlibet est vel non est: quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Principia non dignitates sunt, quæ carent conditionibus supra dictis.

7 Explicatis iam propositionibus per se notis assero demonstrationem perfectissimam, in qua prima passio de essentia demonstratur constare præmissis per se notis à priori, non verò à posteriori, quia essentia non potest à priori demonstrari de subiecto potest tamen à posteriori. Reliquæ demonstrationes non debent constare principiis per se notis, cum enim demonstratur secunda passio per primam, principia non sunt per se nota, cum prima possit à priori probari per essentiam, & à posteriori per secundam passionem. Potest autem dici omnis syllogismus siue probabilis, siue evidens constare principiis per se notis, quia vltimò in talia principia resoluendus est, si negentur principia non per se nota, quibus immediatè innititur conclusio.

PUNCTUM VI.

An omnes demonstrationes debeant esse vniuersales, necessariæ, constantes prædicato de omni secundum quod ipsum.

1 Non omnem demonstrationem debere esse vniuersalem, probo ex syllogismo expositorio, qui verè demonstratiuus est, & non constat propositionibus vniuersalibus. Deinde hic syllogismus: *Omne quod currit mouetur. Petrus currit: ergo Petrus mouetur*, demonstratiuus est, si minor euidenter cognoscatur, quomodo potest sensum euidentiæ cognosci, & tamen constat propositionibus vniuersalibus. Deinde à posteriori causam per effectum singularem demonstramus.

2 Dicendum tamen est demonstrationem perfectissimam, in qua passio naturæ multiplicabilis demonstratur per essentiam debere constare præmissis vniuersalibus. Ratio est, quia demonstratio perfectissima est, in qua demonstratur prima passio de subiecto adequato. Sed passio naturæ multiplicabilis habet pro subiecto naturam vniuersalem: ergo de illa debet demonstrari: ergo debet demonstrari de subiecto vniuersali: ergo conclusio vniuersalis esse debet: ergo & præmissæ, quia conclusio vniuersalis, non nisi ex vtrique præmissa vniuersali deducitur.

3 Dixi perfectissimam demonstrationem, in qua demonstratur passio naturæ multiplicabilis, quia si passio seu attributum, quod demonstratur sit naturæ immultiplicabilis

v. g.